



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

LII. Vt ab episcopo Carthaginensi, cum opus fuerit, omnium episcoporum nomine dictentur & subscribantur epistolae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari possit, si intestatus decesserit, qui utique debuit, factus episcopus, rei suæ ordinationem congruam suæ professioni nequaquam differre.

## XLIX.

Cod. Can.  
cap. 82.

Item placuit, ut de manumissionibus in ecclesia celebrandis ab imperatore petatur.

## L.

De consecr.  
dist. 1. Placuit ut altaria.  
Et in Carthag. V.  
cap. 14.  
Cod. Can.  
cap. 83.

Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros, & per vias tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab episcopis, qui locis eisdem præsumunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliqua reliquiæ sunt, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omni modo reprobentur.

## LI.

Et in Concilio Carthaginensi V. cap. 15.  
Cod. Can.  
cap. 84.

Item placuit, ab imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiæ idololatriæ, non solum in simulacris, sed in quibuscumque locis vel lucis vel arboribus omni modo deleantur.

## LII.

Cod. Can.  
cap. 85.

Ut si quæ literæ dictandæ in Concilio placue-

ANNO  
CHRISTI  
414

rint, venerandus episcopus, qui huic sedi præfidet, omnium nomine dictare & subscribere dignetur, in quibus etiam ad episcopos legatos, qui per provincias Africanas in causa Donatistarum mittendi sunt, placuit literas dari, tenorem mandati continentes, quem non egrediantur. Et subscripserunt: Aurelius episcopus ecclesiæ Carthagenensis, huic Decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscripserunt.

SEQVNTVR CONCILIA AFRICANA  
SVB INNOCENTIO HABITA.

*In hoc Concilio præterita Decreta firmantur.*

MILEVI-  
TANVM I.

**G**LORIOSISSIMIS imperatoribus Arcadio & Honorio Augustis viris clarissimis consulibus, sexto Kalendarum Septembris, in ciuitate Mileuitana, in secretario basilicæ, cum Aurelius episcopus Carthagenensis in Concilio vniuersali consedisset, adstantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: Quoniam ecclesiæ sanctæ vnum est corpus, omniumque membrorum caput est vnum, factum est, volente Deo, & nostram infirmitatem iuuante, vt ad hanc ecclesiam veniremus, dilectionis & fraternitatis gratia inuitati. Vnde quæso caritatem vestram, quia ita credendum est, (quia noster accessus ad vos nec superfluous, nec insuauis est cunctis) vt consensus omnium vestrum manifestetur concordare complacitis Decretorum, quæ iam dudum vel Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur. Tunc demum fraternitatis vestræ concordia luce clarior apparebit, si hæc, quæ a nobis superioribus Conciliis legaliter definita noscuntur, non solum consensu vestro his actis, verum & subscriptionibus manifestis. Xanthippus episcopus primæ sedis Numidiæ \* sua manu confirmauit, subscribendo etiam nobis placere posse, & nostra subscriptione firmamus. Nicetius episcopus primæ sedis Mauritanie

De loco, tempore, causa, aliisve quibusdam gestis huius Concilii, vide notas Concilii Mileuitani I. supra sub Innocentio.

\* Dixit: Credo, quod omni fraternitati